Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

meos. Scimus autem quia peccatores deus non au-
dit. sed si quis dei cultor est et voluntatem eius facit.
hunc exaudit. A seculo non est auditum. quia aperu-
it quis oculos ceci nati. Nisi esset hic a deo.
non poterat facere quicquam. Responderunt
et dixerunt ei. In peccatis natus es totus. et
tu doces nos. Et eiecerunt eum foras. Audivit
ihesus quia eiecerunt eum foras. et cum invenisset
eum dixit ei. Tu credis in filium dei. Respondit
ille et dixit. Quis est domine ut credam in eum. Et di-
xit ei ihesus. Et vidisti eum. et qui loquitur tecum
ipse est. At ille ait. Credo domine. Et procidens ad-
oravit eum. FR. II. L. L. REGVM

In diebus illis. Venit mulier sunamitis
ad helyseum in montem carmeli. Cumque vidis-
set eam vir dei de contra. ait ad giezi puerum
suum. Ecce sunamitis illa. Vade ergo in occursum
eius. et dic ei. Recte ne agitur circa te et cir-
ca virum tuum. et circa filium tuum. Que respondit.
Recte. Cumque venisset ad virum dei in montem.
apprehendit pedes eius. Et accessit giezi. ut amo-